

Denique & firmiter urget, quòd quatenus tutor est proximus agnatus, Imperator facile scire potest, quos habeat & habiturus sit summos suos assessores: id quod altero casu, ubi per testamentum hic vel alius assignari posset, incertissimum foret. Quocirca dato casu literas ad Electorem erectas, eo defuncto, presentandas esse proximo agnato ex aurea bulla cuique notum esse potest, qui in Cancellariis paululum obambulaverit. Tacebo jam Turcam generalem totius Christianitatis hostem scire, quorum in induciis feriendis & similibus opus habeat consensu. Reliqui verò nòrunt, quænam familiæ sint Electorum, & cum quibus amicitiam suam continuare velint & possint tanquam cum successoribus. Et quid si propemodum quilibet Comes ordinans tutorem & testamentum faciens curat illud subscribi à senioribus & principalioribus sui comitatus, atque ita hac ratione curat confirmari?

*Contrariorum solutiones.*

Hisce ita propositis, illa, quæ pro rationibus dubitandi allata sunt, breviter perlustrabimus. Et quidem quòd ad primum attinet, quòd regulæ sit standum, sciendum est, jus publicum non posse haberi pro exceptione, cum potius jus publicum semper regulam proponere censeatur, inde & nomen suum habet. Sanè si jus publicum confertur cum privato, quin præferendum sit, nemo facile erit, qui dissentiat. Hinc vulgatum illud, & quod in omnium ore versatur: Publica sunt præferenda privatis. Sic videmus in cap. i. quæ sint regalia thesaurum in loco religioso acquiri fisco. Id quod & antea ab Imperatoribus ordinatum est, l. 3. ff. de jure fisci. Et ita præfertur considerationi illi, quæ proponitur in §. thesauros, Institut de rer. divis. ubi cuilibet privato inventori conceditur. Non igitur huc allegari potest regula illa, quatenus & in hoc